



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XLIII. An, & Ecquî doceatur Præsentia Realis ex Figuris?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

tra Calvinistas & Zyving. qui Fide apprehendi aiunt realem Christum. *Sextum substantialiter*, ob Transubstantiationē, cum existendi modo Sacramentali, non Naturali: id est, ad modum Substantiæ, non Quantitatis: illa vero cætera consequuntur, non habentem ab circumstantia seu ordinem, seu locum &c. *Septimū* clarius explicat existēdi modum, non ut in loco, vase, aut velo: sed sicut substantia panis antea fuit sub suis accidentibus: nisi quod hæc in hæserint panis substantiæ, nunc autem non insint Substantiæ Christi. Idēd hæc tam diu perseuerat, quā diu durasset substantia panis. Idē est contra imposturam Bezae, Lutheranos isto decipientis: Corpus Christi verum verē est in Cœna Domini: sed intelligentis Cœnam, quæ in Cœlo à Sanctis celebratur, non, quæ in terra.

Existis Regulas Enunciationum vide in *Bell. l. 1. c. 2.*

#### QVÆSTIO XLIII.

*An, & Ecquid doceatur Præsentia Realis ex FIGVRIS?*

**A**VTOR. Ita inquam. Figuræ sunt necessariō minus præstantes rebus figuratis: Vnde *Col. 2. Heb. 10.* dicuntur *Vmbra*. Atqui, Si Corpus Christi non inesset Eucharistiæ, iā huic figuræ essent aut *I. Aequales*, ut panis, *Gen. 14.* Melchitede: hi: Et panes Propositionis, *Ex. 40. 1. Reg. 12.* Et *Heliq. 3. Reg. 19. 2.* Aut Præstantiores: ut Agnus paschalis, *Exod. 12.* Sanguis Testamenti aspersus, *Exod. 24. Hebr. 9.* & Manna, *Exod. 16. Ioann. 6.* Quocirca rei figuratæ Eucharisticæ diuinius quid inesse debet, quā figuris inerat.

PETRVS MARTYR *in defens. Euch. p. 3.* dicit duo. 1. In Veteribus & Nouis Sacramentis symbola esse diuersa; at Rem eandem. Quia, *1. Cor. 10. Eandem escam Nobiscum manducauerunt. & potum biberunt: Petra autem est Christus.* 2. Nouis Sacramentis tamen esse symbola præstantiora antiquis: quia sunt æternatura, simpliciora, clariora in verbis expressis; significant rem factam, non futuram; acrius fidem excitant, vberius fructificant. 3. Et Apostolo eadem sunt, Edere panem, & de pane: bibere calicem, & de calice, *1. Cor. 11.*

**DICO AD I.** Apostolus ait, quod eandem escam inter te, non Nobiscum, manducauerunt. Nec ait, Escam, potū, aut Rem Sacramenti Hebræorum fuisse Christum.

**AD II.** Istæ prærogatiuæ sunt symbolis extrinsecæ, ideo paruam afferunt signis dignitatem, vt signa sunt. Nam propria signorum dignitas est in Significādo: Et sic Vetera melius significant. Etiam Res symbolicæ veteres sunt meliores; vt Agnus panis; Manna de Cœlo, quā panis ē furno. Quare nostra Sacramenta veteribus essent inferiora; nisi quid aliud haberent diuinius. Verba etiam Vtrisque sunt paria, seu Institutionis, seu Promissionis. Consecrationis. tamē sunt in Nouis præstantiora. Atq; hoc explodunt hæretici.

**AD III.** Ista sunt vera. Non tamen ij dicuntur bibisse Petram, id est, Christum; sed *de Petra*: at nos edimus bibimusque Petram ipsam.

#### QVÆSTIO XLIV.

*An Præsentia realis probetur ex Promissione Christi, Ioann. 6?*

**L**VTHERVVS *lib. de Capt. Babyl. c. 1.* negat, Ioannis *c. 6.* agi de Eucharistia; esse que totum seponit, vt quod ad rem pertinet. Sic & Zyvingius, *Oecolampadius, Kemnicus.*